DE FORMARUM QUAS DICUNT EPICARUM IN TRAGOEDIIS AESCHYLI ATQUE SOPHOCLIS USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GEORGIA AUGUSTA GOETTINGIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HUBERTUS EICHLER,
MARCHICUS.

FRANCOFURTI AD VIADRUM
TYPIS EXPRESSERUNT TROWITZSCH ET FIL.

Quae in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis reperiuntur ab attica dialecto abhorrentia, omnia fere aut *dorica* sunt aut *epica*. ac doricorum quidem usus repetendus videtur ex origine tragoediae atticae. quae cum exorta sit ex dithyrambis, in eis partibus, quae proxime cum dorica illa poesi cohaerebant, i. e. in canticis chori, in canticis histrionum sive μέλεσιν ἀπὸ σκηνῆς, denique in κόμμοις sive θρήνοις κοινοῖς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς, ut explicat Aristoteles, communem lyricae poesis dialectum in universum retinebat, quae ab attica differebat cum aliis tum moderato usu dorismi (v. Hermann. de graec. ling. dial. Opusc. I. p. 133 sq.). deinde in anapaestorum quoque partem hic dorismus manavit, in diverbiis tamen paucae reperiuntur formae doricae, ut δαρόν, κυναγός, Ἀθάνα, substantivi ναῦς casus ναός et ναῶν (v. Lobeck. ad Phryn. p. 428, Nauck. et Dindorf. ad Ai. 37, Th. C. W. Schneider. „De dialecto Sophoclis ceterorumque tragicorum graecorum quaestiones nonnullae criticae“ (Jen. 1822) p. 25, Kuehlstaedt. „Observationes criticae de tragicorum graecorum dialecto“ (Revaliae 1832) p. 115.).

Epica vero quae a nobis appellentur, paucis explicemus. in carminibus Homericis dialecto ionicae multa admixta reperiri ex aliis dialectis, praecipue ex aeolica, desumpta notum est, cujus rei causam exponentem e. g. videas Kuehnerum in gr. gr. max. edit. sec. praefat. § 15. jam tragici ejusmodi dorismos atque aeolismos ipsis cum Homero communes haud dubie non ex dorica et aeolica dialecto, sed ex Homeri lingua mutuati sunt, atque talis forma Homerica in qua dialecto postea reperiatur quaerere, nunc quidem nullius nobis pretii est; potius *omnia, quae non attica apud epicos exstant*, sive dorica sunt, sive aeolica, sive ionica, universo epicorum nomine complectimur.

Epicis et *constructionibus et vocibus et formis* usi

sunt tragici. atque ex constructionibus quidem epicis commemoro conjunctivum cum εἰ, ἐπεί, pronomine relativo vocula ἄν absente junctum (v. Nauck. ad OR. 1231. cfr. Poppo. obss. critt. in Thuc. p. 145), tmesim (de qua egregie commentatus est Piersonus in Mus. Rhen. XI. p. 90. sqq.), conjunctivum in comparationibus positum (v. Buttmann. gr. gr. med. §. 139. C. adn. 1.; velut in ἴδῃ Tr. 112 Erfurdtii emendatione restituto). cum vocabulis vero epicis, quae aut ipsa Homerica sunt aut more Homerico formata, veluti substantiva appellativa quibus syllaba θεν addita est*), conjungi possunt ea, quae attica quidem, sed significatione epica instructa sunt (ut ἱέμενοι Tr. 514 pro ἐφιέμενοι, ᾐδεσάμην Eu. 530 pro ᾐδέσθην, τέ relativo additum frequens apud Aeschylum, apud Sophoclem El. 151, πέρ pro καίπερ Ag. 132. 1538. Su. 52. Ph. 1068, articulus pro demonstrativo ejusque formae a littera τ incipientes pro relativo, κλιθείς = commorans Tr. 101, ut Il. 5, 709. 15, 740.). formae denique epicae sunt eae, quae apud epicos repertae in dialecto attica formam habent aliam sed ad idem vocabulum pertinentem. qua definitione accurate observata quod discrimen sit inter epica verba et epicas formas facile intellegitur. illis igitur adnumerabimus vocem Οἰδιπόδης, ge. et dat. substantivi ἌΙΣ, ὀλέκω, quia quae in Atthide pro eis ponuntur Οἰδίπους, ᾅδου et ᾅδῃ, ἀπόλλυμι ejusdem quidem radicis, non ejusdem vocabuli sunt; epicae contra formae appellabuntur ἀνέρες, ἔκταν, λέλογχα, cum atticae ἄνδρες, ἔκτεινα, εἴληχα eorundem sint vocabulorum. quamquam nonnullae voces utrum formae sint epicae an vocabula haud facile dijudicari potest. quod accidit in eis verbis, quorum e formis paucae apud Atticos remanserunt, ceterae in epico sermone exstant, velut in λήθω et πεύθομαι, Ζηνός, Ζηνί etc., aliis; quae quominus vocabula epica appellentur, impedit quod nonnulla tempora aut casus in Atthide

*) Harum formationum inveni apud Aeschylum et Sophoclem atticas (v. Krueger. gr. gr. I. §. 41, 12, 16) πατρόθεν Ag. 1475. Se. 821. et μητρόθεν Cho. 601. Homericas θεόθεν et Διόθεν, quarum utraque frequens est, θύραθεν Tr. 1021, a tragicis inventas φρενόθεν Ai. 184, μυχόθεν Cho. 34. Ag. 96, βυσσόθεν Ant 590., πρυμνόθεν sive πρέμνοθεν Se. 1042. 71. Hermannus adeo Se. 147 ἐκ Διόθεν scripsit.

exstant: λήσω, πεύσομαι, Ζεύς. quare has quoque de formis epicis scribentes considerabimus.

Epicarum formarum duo rursus statuimus genera. considerantes enim formas epicas μοῦνος et κτίσσας illam quidem ipsam ex epicis sumptam esse videmus, hanc non item, sed explicari potius debere inde, quod tragici Homeri litteram σ post brevem vocalem in fut. et ao. 1. act. et med. duplicantis consuetudinem sint secuti. μοῦνος epicam formam esse, κτίσσας more epico formatum dicimus. ita duo oriuntur genera, quorum in altero id quod epicum est ad solum illud vocabulum pertinet, de quo agitur: nemo enim, ut formas μοῦνος et ξεῖνος explicet, tragicos Homerum secutos ο et ε in ου et ει mutare solitos esse contendet, verum epicas formas μοῦνος et ξεῖνος ab eis usurpatas dicet. in altero autem epicum per totam vocabulorum classem extenditur, ut duplicationem litterae σ non in solo κτίσσας, sed omnino in fut. et ao. 1. act. et med. post vocalem brevem, ubicunque syllaba longa metro flagitabatur, tragici admiserunt. atque quae ad priorem pertinent classem, angustiore vocis notione formae epicae appellantur, altera autem comprehenduntur potius formae consuetudine epica mutatae. ejusmodi consuetudines sunt contractio, dissolutio vocalis contractione ortae, diaeresis, synizesis, omissio augmenti, apocope vocalis finalis praepositionum bisyllabarum, al. ad eandem hanc classem pertinent terminationes epicae, velut — οιο pro — ου, — ῃσι pro — αις, — εσσι — pro — σι, ῆες ionica pluralis terminatio substantivorum in εύς exeuntium. quoniam vero, si utrumque genus considerare vellemus, haud dubie fines huic commentariolo constituti essent transeundi, majore jure prius solum tractabimus.

Quaerendum nunc, quo jure tragici omnino epica admiscuerint. primum in omni poesi verbis dicendique generibus vetustis uti licet; quae cum a vulgari quotidianoque sermone recedant, dictionem magnificentiorem atque splendidiorem reddunt antiquitatis colore ei inducto. veluti quis neget Sophoclem OR. 27*) tmesi usum spectatorum animos studuisse poetice ut ita dicam efferre, cum eos Homeri commonefaceret? tum Ho-

*) Locos — id quod jam ante debebat adnotari — affero Aeschyli ex Hermanni, Sophoclis ex Dindorfii, Euripidis ex Kirchhof defiiitione.

merus omnibus omnium temporum poetis graecis exemplar erat ad imitandum propositum; quare a nullo carminum genere epica aliena putabantur itaque in tragoediis quoque admittebantur.

Permissa igitur fuisse tragicis epica cum appareat, videamus, ubi et quo consilio eis sint usi. quam causam tmesis in loco allato adhibitae Sophocli cognovimus fuisse, eadem plerumque in constructionibus et vocibus epicis statuenda videtur. etenim quamquam attica vox et constructio haud raro metro adversata fuisset, tamen tragici si voluissent epicam vitare sine dubio poterant, quod qui negat nimis exiguam versuum faciendorum facultatem eis tribuit. coacti igitur metro non sunt; sed cum omnino epicis uti sibi putarent licere, simul non raro metro subveniebant. alia vero est ratio formarum epicarum. quomodo enim sola forma ab attica saepe non differens nisi una littera tantam habeat vim, ut sermonem magis poeticum reddat? mihi quidem persuasum est tragicos metro tantum permotos esse, ut formas epicas ponerent. quod si verum est, sequitur formis epicis eos non esse usos nisi ubi atticae metro repugnarent, contra, quotienscunque et atticam formam et epicam dicere liceret, illam huic antelatam esse. atque hanc re vera summam eis fuisse legem postea de singulis exponentes demonstrare conabimur. videbimus tamen apud Aeschylum, quamquam eandem illam quam Sophocles sequitur legem, epicas formas nonnullas paullo frequentiores esse; ut igitur omnino sermo ejus plura epico similia habet, ita hic quoque minus quam Sophocles cavisse putandus est, ne epicam scribere formam metro cogeretur. denique si justa a nobis inventa est causa, simul apparet, versus melicos et trimetros usu formarum epicarum inter se differre non potuisse; quod et ipsum verum esse postea reperiemus.*)

---

*) Enger quidem in editione Agamemnonis ad v. 107 in numeris dactylicis ait Aeschylum saepe formis epicis uti. perlustrantes tamen multa illa, quae tragici ex Homero mutuati sunt, epica non solum in dactylicis, sed etiam in cujuslibet alius generis versibus reperiri videmus. si vero in illis formae epicae paullo frequentiores sunt, causa statuenda ea, quod omnino dactylicis numeris optime adaptari poterant, quippe quae in hexametri usum ortae essent.

Eligentes sibi formas epicas tragici eas videntur vitasse, quas ab attica dialecto nimis abhorrere putarent quaeque ne statim a spectatoribus — id quod in theatro quam maxime necessarium est — intellegerentur esset timendum.

Jam rem ita tractaturi sumus, ut capite priore et longiore formas frequentiores ideoque ad tragicorum consuetudinem cognoscendam utiliores consideremus, in posteriore rariores colligamus et, ubicunque adversantur legi priore parte inventae, corrigamus.

Caput prius.

ἀεί, αἰεί, αἰέν.

Homerus saepissime αἰεί, ter ἀεί(ă), denique αἰέν ita tantum dixit, ut syllaba posterior sit brevis, non ut positione producatur. recte igitur Bekkerus Il. 11,827 αἰέν in fine versus collocatum in αἰεί, Il. 1,520 et Od. 1,341 αἰεί, quod trochaeus fit sequente vocali, in αἰέν videtur mutasse. posteriores quoque epici raro ἀεί(ă) dixerunt.

Grammatici duodecim hujus voculae formas afferunt (cfr. Ahrens de dialecto dorica § 45). quarum primam vetustissimamque fuisse conicio ἀέ quod apud Dorienses reperitur. jam dialectus ionica accumulatarum vocalium amans utrique syllabae ι addere atque α et ε in αι et ει mutare potuit, quarum diphthongorum ab initio ut in nostra quoque lingua (cfr. stehic pro steic in Muellenhoffii monum. p. 162 v. 8. et 9.) singulae pronuntiabantur vocales. ita orta sunt ἀεί, αἰεί, αἰέν cum ν ἐφελκυστικῷ. quibus omnibus uti Homero licebat, quoniam ejus aetate vocalium mensura firma stabilitaque nondum erat facta. in doricis ἀές et αἰές ς additum idem videtur esse, quod in οὕτως, μέχρις, ἄχρις et multis aliis vocabulis exstat. Attici denique hic quoque mediocritatem quandam inter asperitatem doricae mollitiamque ionicae dialecti tenentes ἀεί sibi elegerunt, quae forma cum una syllaba producta ab ἀέ differat, quasi media est inter pingue αἰεί et tenue ἀέ.

In codice Laurentiano quattuor hujus vocis exstant formae: ἀεί(ă), ἀεί(ā), αἰεί, αἰέν. atque prima longe frequentissima est; secunda vero et tertia cum syllabarum mensura pares sint,

possitne putari utraque scripta esse a tragicis an alterutra tantum quaerendum erit. Hermannus et Dindorfius in Aeschylo atque Dindorfius in Sophocle αἰεί melicorum versuum retinuerunt, diverbiorum et anapaestorum ubique in ἀεί mutarunt. quod quibus de causis fecissent exponentes eos non potui reperire, ideoque meo ipsius arbitratu quaestionem solvam necesse est.

Primum re vera ἀεί ita dictum esse a tragicis, ut spondeum efficiat, constat, quippe quod satis multi nobis offerant loci et a librariis in homerici αἰεί locum substitutum esse non credibile sit, cum illi potius saepissime atticas formas in epicas mutarint. cur vero non ubique, si spondeo opus erat, tragici αἰεί posuerunt, cum ab epico αἰέν non abstinuerint? ac metricam quidem causam non exstitisse apparet. neque αἰεί et ἀεί(ā) ita inter se possunt differre, ut illo cum epicum sit sermo altius assurgat, hoc contra positum sit, ubi tale quid scriptor efficere noluerit; etenim — quod jam supra est dictum — vix tantam parvulae vocis vim fuisse credemus. restat igitur solum, ut cur tragici ἀεί(ā) invenerint ex forma vocis αἰεί explicemus. atque si consideraverimus ἀεί in vulgari sermone sine dubio priore syllaba brevi fuisse, ἀεί(ā) vero et αἰεί non solum eadem mensura esse, sed etiam, si diphthongorum vocales — quod verisimile est — separatim a veteribus efferebantur, optime fieri potuisse, ut prius ι modo clarius modo obscurius sonaret, ideoque ἀεί et αἰεί similius ab illis quam a nobis pronuntiata esse; facile adducemur, ut credamus spectatores voce ἀεί(ā) homerici αἰεί commonefactos, ἀεί vero suaviore sono illis visum fuisse, quia alioquin tragici semper αἰεί dixissent. fortasse αἰεί atticis auribus mollius erat ob eamque causam a poetis in ἀεί est mutatum. unde sequi videtur ἀεί(ā) nihil aliud esse quam epicum αἰεί atticae auri accommodatum; quod si verum est, tragici modo ἀεί(ā) modo αἰεί dixisse non possunt existimari. nam si αἰεί eis servatur, cur non ubique ab eis positum est, cur omnino ἀεί priore syllaba longa sibi formarunt? quare mea quidem sententia αἰεί ubique in ἀεί mutandum erit, neque in trimetris solum, verum etiam — quo ab Hermanno et Dindorfio dissentimus — in melicis versibus. sunt sane in his epica frequentiora quam in diverbiis, atque αἰεί eis concedere non du-

bitaremus, si ubique legeretur; sed in multis melicorum locis ἀεί(ā) inhaeret, quod explicari non potest, si αἰεί quoque canticorum est. Ellendtius in lex. Soph. s. v. ἀεί dicit „in Laurentiano a. fere perpetuo αἰεί legi in longa syllaba“ et „omnino ἀεί prima producta non certissima fide esse“; ideo se non intellegere „cur αἰεί abiiciatur ab eis, qui longe magis a prosa oratione attica abhorrens αἰέν necessitate quidem coacti tolerant.“ voluit igitur ἀεί(ā) ubique in αἰεί mutari. quae sententia refellitur eo, quod secundum recentissimas codicis collationes ἀεί(ā) septies decies, αἰεί, si exceperis duos locos in quibus haud dubie mendo scripturae ortum est, totidem locis legitur praetereaque horum septemdecim locorum quinque sunt, in quibus αἰεί, cum metro non sit necessarium, in ἀεί(ă) mutandum esse videbimus. quare, quin ἀεί(ā) a tragicis profectum sit, nemo dubitabit. neque eo αἰεί defenditur, quod aliquoties a Thucydide et Platone dictum esse contendunt (v. Poppo. obss. critt. in Thuc. p. 133.); nam ut re vera critici recentiores αἰεί illis scriptoribus concesserint — quod num factum sit, ego nescio, — tamen hoc ad judicium de tragicis faciendum aliquid momenti haberet tantummodo si ἀεί(ā) apud eos non exstaret. nunc vero αἰεί prorsus supervacaneum est.

Forma αἰεί quomodo in verba poetarum irrepserit, facile explicatur. debetur enim librariis, qui in Homericis studiis multum occupati, ubicunque potuerunt, epica pro atticis scripserunt. quod cum in aliis scriptoribus tum in tragicis factum esse multis demonstratur exemplis; factum esse in ἀεί quoque liquet ex hisce:

1. Legitur αἰεί Tr. 28. in pede secundo senarii et Pro. 162. in melico versu ita, ut versus respondens iambo opus esse ostendat. unde apparet, quam promptus fuerit librarius ad scribendum αἰεί, quoniam posuit codice archetypo sine dubio ἀεί praebente, quamque parva in ejus modi rebus ei habenda sit fides.

2. Ostendetur infra tragicos, etsi re vera αἰεί habuissent, tamen nunquam in pedibus numeri imparis dicturos fuisse. reperitur tamen αἰεί quater in pede primo senarii et semel, El. 171., initio versus melici, cui qui respondet iambum habet. omnibus his locis αἰεί non per se, sed quia eo non opus est,

falsum putandum. quo concesso quis non suspicetur librarium hic non mendo scripturae, ut in duobus illis locis modo allatis, sed scientem scripsisse pro ἀεί(ă) epicam formam, quam fert versus? in quinto pede αἰεί pro ἀεί(ă) non repperi; fortasse igitur librario, ubi in medio versu ἀεί inveniebat, num pro eo αἰεί poni posset enumerare longum fuit, qua opera in primo pede supersedebat. quodsi revera αἰεί pro ἀεί(ă) scripsit; nonne majore etiam jure conicere nobis licebit αἰεί in ἀεί(ā) quoque formae locum ab eodem esse substitutum? nam legens ἀεί ita positum, ut prior syllaba longa esset, neque ignorans solere eam apud Atticos corripi optime versum posito αἰεί epico sanari putabat. denique ubi ἀεί(ā) non mutavit, priorem syllabam longam esse fortasse non animadvertit.

Transeamus nunc ad singulas vocis formas considerandas. Schneider [praef. ad OR. atque Quaestt. p. 22. sq.] ἀεί in diverbiis, αἰεί et αἰέν ut epica in melicis frequentiora esse dicit. quod non omni ex parte verum est.

Atque in trimetris quidem lex a tragicis observata est haec:

1. ἀεί priore syllaba et longa et brevi ponitur; illud tamen ibi tantum est statuendum, ubi prior syllaba longa debet esse.

2. αἰέν non legitur nisi ita, ut prior syllaba sit arsis; si vero thesis, in quam syllaba posterior incidit, anceps est, αἰέν in illis solis locis reperitur, in quibus ἀεί(ā) poni non potest.

Haec lex sequitur:

1. inde, quod cur tragici ibi ἀεί(ă) non posuerint, ubi metro permissum est, causa excogitari potest nulla.

2. — idque multo majoris est momenti — ex observatione usus. nam

a. αἰέν nunquam primum aut tertium aut quintum pedem explet, quod sequente consonante fieri potuit.

b. semper αἰέν ponere licuit in arsi secundi et thesi tertii pedis. attamen in hoc loco ibi solum reperimus, ubi post ἀεί hiatus oreretur. quod cum multis comprobetur locis, in uno, qui obstat, Se. 834., αἰέν in ἀεί mutari debet.

c. αἰεί quater in primo pede exhibetur. sed primum multo frequentius in pedibus imparis numeri ἀεί legitur (decies in primo, decies in quinto pede); deinde secundum sententiam nostram ante expositam in ἀεί mutandum, quo facto α non producendum esse, sed corripiendum per se apparet.

Iam videamus, quae ex lege illa consequantur. primum formae ἀεί(ă) syllabas ad unum eundemque pedem pertinere, formarum ἀεί(ā) et αἰέν in duos debere distributas esse liquet. quare in omnibus pedibus ἀεί(ă) legitur excepto tertio, ex quo caesura depellitur.*)

αἰέν quinque modis poni potest: in primo et secundo pede, in secundo et tertio, in tertio et quarto, in quarto et quinto, in quinto et sexto. sed in postremis duobus locis non legitur, quod casu videtur factum esse; in ceteris vero usus ejus coercetur eo, quod semper vocalis debet sequi [quae res simul demonstrat ν finale esse ν ἐφελκυστικόν]. nam sequente consonante primo et tertio modo omnino non potest dici, quoniam positione syllaba posterior longa fieret; in arsi vero secundi et thesi tertii pedis ἀεί ante consonantem semper dici antea est explicatum**).

ἀεί(ā) denique adhiberi non potest nisi in arsi secundi et

---

*) ἀεί(ă) in primo pede Su. 498. Pro. 26. Ag. 562. OC. 347. 746. 750. Ai. 1. 836. Ph. 259. 641. et ex αἰεί restituendum Pro. 42. 646. Eu. 679. Tr. 35.

in secundo pede El. 600. 721. Ai. 117. 320. Ph. 10. et ex αἰεί restituendum Tr. 28.

in quarto pede Pro. 733. OC. 469 (ἀείρυτος). 855. 1594. Ai. 292. 676. 835. OR. 368. 1223. 1465. Ph. 797.

in quinto pede Pro. 521. Cho. 670. OC. 1525. Ant. 166. 456. El. 556. Ai. 765. OR. 275. Ph. 131. Tr. 1202.

in sexto pede Pro. 941. Pe. 438. OC. 104. 341. 444. 788. 1555. 1635. Ant. 184. 1159. 1195. El. 3. 259. 303. 517. 525. 530. 785. 1148. 1226. Ai. 342. 522. 570. 1036. OR. 929. Ph. 134. 297. 437. 450. 649. 1013. Tr. 440. 469. 685.

**) αἰέν in pede primo et secundo Pe. 619. Ai. 682. 1244. Tr. 325.
secundo et tertio Ai. 1031.
tertio et quarto Ag. 858. OC. 633. 989. El. 782. Tr. 1074.

thesi tertii pedis; nam si poneretur in arsi quarti et thesi quinti pedis, pausa exoreretur.*)

In trimetris igitur ἀεί(ă) ideo frequentius est, quod et cum numeris versus iambici optime consentit ipsum efficiens iambum et, ubicunque etiam ἀεί(ā) aut αἰέν metro fertur, his praeponitur. in melicis vero versibus non haec solum usum formarum ἀεί(ā) et αἰέν angustis terminis circumscribentia, sed etiam alia, veluti pausa, nullum habent locum; nam illi neque iambici solum sunt et syllabis, quae et longae et breves esse possunt, multo rarius in eis datur locus. hinc oportere apparet in melicis formae ἀεί(ă) totidem fere esse exempla, quot sunt formarum ἀεί(ā) et αἰέν, quod cum re vera ita se habeat, altera legis Schneiderianae pars probari non potest. ceterum hic quoque ἀεί(ā) et αἰέν differunt ita, ut, ubi utrumque possit poni, ἀεί praeferatur, αἰέν vero semper trochaeum efficiat neque legatur nisi ante vocalem.**)

Ut in anapaestis simplex ἀεί(ă) non reperiatur, sed solum ἀείμνηστος Ai. 1166, casu factum est.***)

ξένος et ξεῖνος.

Homerus semper habet ξεῖνος, ξεινοδόκος, ξεινήϊον, ξεινίζω, ξεινοσύνη; in adjectivi vero ξείνιος eis formis, in quibus ultima syllaba producitur, et ubique in substantivo ξενίη, cujus ultima semper longa est, ε ponit pro ει, quia ει servato numeris hexametri repugnarent.

---

*) ἀεί(ā) Pe. 175. 761. (ἀείμνηστος). Eu. 586. OC 1584 Ant 892. (ἀείφρουρος). El. 305. OR. 786. et restituendum ex αἰεί Pe. 605. Eu. 79. 822. OC. 1530. 1532. Ant. 76. El. 650. 917. Tr. 16, ex αἰέν Se. 834.

**) In melicis 1. ἀεί(ă) El. 122. 141. OC. 1454. 679. 1244. Ai. 1208. Phil. 717 et restituendum Pro. 162 ex αἰεί, quod metro adversatur. El. 171 αἰεί metro quidem non repugnat, quia ab initio versus iambo spondeus possit respondere; sed cum in ἀεί sit mutandum, hujus α breve erit putandum

2. ἀεί(ā) El. 1242. OC. 682. Ai. 598. Ph. 172. OR 481. Su. 649. 674. et scribendum pro αἰεί Ag. 732. 1413.

3. αἰέν Pro. 428. El. 1239. 148. 165. OC. 688. 704. 1573. 1707. Ai. 604. 1187. OR. 905. Tr. 120. 139. 652. αἰένυπνος OC. 1578.

***) In anapaestis ἀεί(ā) Eu. 975. El. 218. et restituendum ex αἰεί Ph. 148; αἰέν OC. 1765.

Primam vocis formam ξένϜος fuisse constat. littera Ϝ paullatim e lingua graeca evanescens haud raro hoc sui vestigium reliquit, ut vocalis antecedens produceretur, eoque modo ortum est ξεῖνος, quod Iones vocalium frequentiae amantes in dialecto sua retinuerunt, cum apud Atticos, qui in primis digamma abjecerunt, nullum hujus litterae indicium remanserit. itaque apud Homerum in verbis ante allatis ει constanter reperitur, quippe quae cum diphthongo hexametro aptissima sint; contra ε non posuit nisi ubi ionica forma nullo modo usurpari potuit.

Apud tragicos res inversa est. qui cum et ξενος et ξεῖνος saepissime dixerint, qualis eorum consuetudo non solum in his, sed etiam in aliorum vocabulorum formis similiter se habentibus fuerit cognoscere nobis licebit. ac de ξένος et ξεῖνος quidem constat ξεῖνος dici, ubi ξένος metro repugnet, non dici, ubi metrum utramque formam ferat. haec vero lex amplificanda atque de omnibus statuenda est vocibus, quarum duae exstant formae mensura dispares, attica et non attica. quod si verum est, simul eos non recte facere apparet, qui formam epicam non solum ad metri necessitatem explendam, verum etiam alio quodam consilio esse adhibitam arbitrentur; mirum enim esset, si tragici hoc consilium ibi tantum habuissent, ubi epica forma necessaria, nunquam habuissent, ubi permissa, non tamen necessaria est.

Atque in formis ξένος et ξεῖνος lex illa plurimis comprobatur exemplis. Laurentianus enim codex in trimetri pedibus imparis numeri, ubi et ξένος et ξεῖνος potuit dici, undequadragies*) breviorem formam exhibet, neque quemquam dubitare putamus, quin, quod unum obstat, ξεῖνον OC. 928. in primo pede positum in ξένον sit mutandum**). sunt tamen fortasse,

---

*) In primo pede: Su. 181. Cho. 554. 654. 660. 689. 826. OC. 13. 903. El. 660. OR. 220. 452. Ph. 318. 525. Tr. 40. 263.

In tertio pede: Cho. 686. El. 662. 671. 1112. 1180. 1184.

In quinto pede: Su. 188. Ag. 1021. Cho. 569. 643. 728. Eu. 651. OC. 62. 492. 844. 1335. El. 44. Ai. 817. OR. 455. 715. Ph. 1045. Tr. 310. 531. 627.

**) A Kuehlstaedtio hoc loco ξεῖνον defensuro falsam allatam esse causam Ellendtius lex. Soph. II. p. 190. demonstravit.

qui ξεῖνος a tragicis adeo vitatum esse putent; inveni enim formae ξένος exempla centum quadraginta sex (in quo numero jam sunt OC. 928 et OC. 184, ubi ut cum Bothio ξένης pro ξείνης scribamus poscit metrum), contra formae ξεῖνος non plura quam quattuordecim (quibus jam adnumeravimus OC. 518 et 174, ubi breviores formae in codice scriptae metro adversantur), priorisque fortasse in his numeris nonnulla sunt omissa, posterioris nullum. dicat etiam aliquis ab Aeschylo epicum ξεῖνος diverbiis alienum esse habitum, cum a trimetris illius omnino absit. ejusmodi vero suspiciones reiciendas esse nunc demonstrabo.

Formam ξεῖνος multo rariorem esse quam ξένος eo debet explicari, quod usus ejus in senariis satis impeditus est. etenim

1. cum non ponatur nisi metro cogente, priorem syllabam in arsi legi necesse est. deinde consonans ξ semper efficit, ut antecedentis vocabuli syllaba finalis producatur; quare ita tantum potest admitti, ut syllaba prior arsis sit aut primi aut tertii aut quinti pedis.

2. Sed in his quoque tribus locis usui epici ξεῖνος fines angustissimi sunt. quoniam enim theses secundi, quarti, sexti pedis breves debent esse, restant, quibus uti liceat, masculini solae formae ξεῖνος, ξεῖνον, ξεῖνε sive ξεῖν', feminini nulla. denique si legitur ita, ut prior syllaba in arsim quinti pedis incidat, thesim ejusdem pedis ne pausa oriatur ex vocabulo monosyllabo constare oportet.

Haec vero omnia, quae usui longioris formae impedimento sunt, in breviore non solum nullum habent locum, sed ei adeo favent. cum enim haec ita soleat dici, ut prior syllaba sit thesis (aliter in solo ὦ ξένε Ph. 791), ξ metro inservit antecedentis verbi syllabam postremam, etiamsi brevi vocali finiatur, longam reddens. item optime cum metro congruit, quod in plerisque casibus posterior syllaba longa est. videtur igitur rarus epicae formae usus satis posse excusari. casu vero factum puto, ut apud Aeschylum illa non legatur in senariis; namque si exempla formae ξένος in trimetris utriusque poetae exstantia numeraverimus, apud Sophoclem fere triplum eorum reperiemus numerum, ideoque non mirandum est formam ξεῖνος, cum etiam in Sophoclis senariis non saepius quam octies lega-

tur, in Aeschylearum tragoediarum ad nostram aetatem servatarum diverbiis non esse dictam. in versu melico posuit Se. 916.

Kuehlstaedtius (v. Ellendt. lex. Soph. II. p. 190) in allocutione potissimum ξεῖνος in trimetros receptum esse arbitratur. hoc verum quidem est, cum inter quattuordecim ejus exempla undecim sint allocutionis. ne quis tamen hac de causa opinetur tragicis in allocutionibus epicam formam aptiorem esse visam attica, primum ξένος quoque sexagies ter in allocutione a me inventum est, unde liquet, quam usitatum omnino hoc vocabulo alloqui fuerit; deinde epici ξεῖνος praeter allocutionis formas ξεῖνε et ξεῖν' solas ξεῖνος et ξεῖνον, attici ξένος vero multas (ξένος, — ου, — ῳ etc., — η, — ης etc.) fert senarius. utrumque si consideraveris, facile cur ξεῖνος in vocativo, ξένος in ceteris casibus frequentius sit intelleges.*)

μόνος et μοῦνος.

Quam legem a tragicis in formae ξεῖνος usu observatam esse vidimus, eandem in epico μοῦνος — quam solam formam usurpavit Homerus — sibi constituerunt in trimetris eo non usi nisi ita, ut prior syllaba arsi teneretur. neque ullum huic legi repugnat exemplum; mutandum solum μόνον Tr. 277, quippe cujus prior syllaba in arsim incidat, in μοῦνον. quod Kuehlstaedtius dicit, „μοῦνος semper cum animi quodam affectu pronuntiari," recte refutatum est ab Ellendtio l. c. II. p. 136. idem Ellendtius l. c., ut explicet, cur οὐ μοῦνον sequente ἀλλά non dictum sit a tragicis, causam eam esse contendit, quod formula οὐ μόνον - ἀλλά „maxime communis et cotidiani usus" sit; casu tamen illud potest factum esse, cum ne οὐ μόνον-ἀλλά quidem apud Sophoclem plus quam semel (Ph. 555.) reperiatur.

Μόνος multo rarius est quam ξένος, μοῦνος tamen, quod in duodeviginti locis legi, frequentius quam ξεῖνος. etenim μοῦνος

---

*) ξεῖνος legitur: 1. in trimetr. ξεῖν' OC. 33. 1096. ξεῖνε OC. 49. 856. 1119. El. 675. 1119. ξεῖνος OC. 1014.
2. in mell. verss. ξεῖν' OC. 510. 530. et restituendum (v. s.) 518. ξεῖνος Se. 916. OC. 184.
3. in anapp. ξεῖνοι (voc.) restituendum e paucis apogr. OC. 174.

a simplici consonante incipiens non tribus tantum senarii locis, ut ξεῖνος, sed quinque accommodari licet, cum prior syllaba in omnibus ejus arsibus excepta sola sexta poni possit. rarius tamen quam μόνος ideo μοῦνος est, quia, si syllaba μουν- arsis est aut primi aut tertii aut quinti pedis, non permissae sunt formae plures quam quattuor: μοῦνος, μοῦνον, μοῦνα, μοῦνε (quarum postremae duae non reperiuntur).

Denique forte ita evenit, ut diphthongum apud Aeschylum melici versus non offerant, trimetri in solo μουνώψ (Pro. 805). nam si ab epica forma consulto se abstinuisset, etiam μουνώψ non admisisset; et cum in trimetro diphthongum posuerit, eum in melicis quoque, si metrum poposcisset, epicam formam non fuisse vitaturum quis est quin concedat?*)

κοῦρος et κούρη.

Homerus et κοῦρος atque κούρη semper dicit et in vocabulis ab illis derivatis diphthongum ubique servat. apud tragicos atticae formae κόρος et κόρη [v. Lobeck. ad Phryn. p. 235] multo usitatiores sunt atque in trimetris adeo solae exstant; epicarum apud Aeschylum et Sophoclem singula reperiuntur exempla: κούρα voc. OC. 180. κούρα Se. 133. (nam κοῦρος frg. Soph. 230, quod Papius in lex. gr. et Ellendtius in lex. Soph. s. v. κόρος a Sophocle profectum putant, carminis cyclici est), apud Euripidem duo: κούρας Iph. Taur. 209, Su. 54 κοῦρον.

Quamquam vero formae longiores in senariis non leguntur, tamen ut nimis ionicae consulto in diverbiis a poetis vitatae atque in canticis solum, quae omnino plura habent epica, admissae non putandae sunt. nam

1. in usu epicorum ξεῖνος et μοῦνος ejusmodi trimetrorum

---

*) μοῦνος legitur:

α. in trimetris: a. in primo et secundo pede OC. 875. Tr. 1209.
b. in secundo et tertio OC. 1250. Ant. 508.
c in tertio et quarto OC. 991. Ant. 308. 705. El. 531. Ai. 1276. OR. 304. 1418, restituendum Tr. 277.
d. in quarto et quinto μουνῶπα Pro. 805.

β. in melicis: Tr. 959. El. 153. Ph. 183.

γ. in anapaestis: El. 119. Ant. 941.

melicorumque differentia a nobis non est inventa; cur exstet in κοῦρος et κούρη, quorum eadem ratio est atque illorum?

2. si epicas formas in trimetris legeremus, haud dubie, ut in ξεῖνος et μοῦνος fit, priorem syllabam semper arsi teneri videremus. atqui masculina hujus vocis forma omnino rarissima est et a Sophocle non saepius quam bis, ab Aeschylo nunquam dicta; κούρη vero, ut cujus syllaba posterior in omnibus casibus sit longa, nisi priore in arsim secundi pedis incidente non potuit poni. quare in trimetris non reperiri epicas formas mirandum non est. in melicis quoque rariores sunt formis ξεῖνος et μοῦνος, cum ne κόρος et κόρη quidem tam saepe legantur quam ξένος et μόνος.

δόρυ.

Multiplicem substantivi δόρυ declinationen considerantibus nobis tres nominativi videntur esse statuendi: simplicissima forma monosyllaba, quae fortasse fuit ΔΩΡ (ut πῦρ, πυρός), tum ΔΟΡΑΣ, denique δόρυ, quarum genitivi erant δορός, δόρατος, δόρεος (cfr. ἄστυ, ἄστεος). haud raro in lingua graeca nominativi simplicioris, quam quo in vulgari sermone utebantur, et paullatim evanescentis casus nonnulli remanserunt, ut ἀλκί et ἄϊδι = ἀλκῇ et ᾄδῃ, eodemque modo δορός et δορί sunt explicanda. atque substantivis neutrius generis interdum nominativum et in υ aut ος et in ας desinentem fuisse demonstrant οὖδας οὔδεος, βρέτας βρέτεος, maximeque κνέφας duplici genitivo κνέφους et κνέφαος instructum. obsoleverunt vero antiquissimis jam temporibus primus et secundus nominativus, genitivus tamen et dativus illorum servabantur; contra formae δόρυ casus δόρεος, δόρει usque ad tragicorum aetatem ignoti sunt. Homerus nominativi et accusativi singularis formam tertiam, ceteros casus a prima et secunda formatos habet, atque in δόρυ nunquam, in reliquis casibus semper ο in ου producit (δούρατος et δουρός, δούρατι et δουρί etc.). ab Atticis denique etiam δορός et δορί abjecta esse nemo ignorat.

De tragicis ut dicamus, primum nusquam apud Aeschylum et Sophoclem pluralis legitur. nec reperitur singularis nominativus, accusativus δόρυ ter: in trim. Eu. 758. OC. 424, in

mel. Su. 819. genitivus et dativus sunt in diverbiis δορός et δορί sive δόρει. cur vero in eis nec δόρατος, δόρατι, nec δουρός, δουρί, nec δούρατος, δούρατι dixerunt? variae hujus rei excogitari possunt causae. breviores enim formae omnino magis poeticae sunt, semperque poeta, si duobus verbis licebit uti magnitudine diversis sed significatione paribus, brevius praeferet. praeterea δορός et δορί sive δόρει versui iambico aptissima sunt, δόρατος vero et δόρατι non possunt poni nisi duabus syllabis arsim efficientibus, quam arsis dissolutionem si fieri potest Aeschylus et Sophocles libenter vitant. ου autem fortasse nimis ionicum erat; certe pro δουρός et δουρί tragicos δόρατος et δόρατι mensura illis aequa dicturos fuisse nemo est quin concedat. denique formae δορός et δορί adeo quodammodo atticae sunt neque ex antiquiore quem dicunt atticismo prorsus evanuerant, quod testatur Thucydides bis (I, 128. IV, 98) δορί dicens.

Dativus in libris manuscriptis semper est δορί. exstant tamen duo apud Sophoclem loci, in quibus pro posteriore syllaba longa requiritur: OC. 620 δορὶ διασκεδῶσιν, ubi δορί in primum, et fr. 374 b. σὺν δορὶ σὺν ἀσπίδι, ubi in quartum pedem incidit. jam cum et testimoniis veterum grammaticorum et codicum in aliis scriptoribus lectionibus et nonnullis vestigiis in Laurentiano libro repertis (cujus videas scripturas Aj. 1056. Ag. 1081. Su. 418) dativi formam δόρει (cfr. δόρη Eur. Rhes. 262) exstitisse constet, Hermannus, qui videndus est in Erfurdtii editione Ajacis p. 628, δόρει scripsit non solum locis illis modo allatis, qui eo carere non possunt, sed etiam OC. 1314 et 1386, ubi postremam syllabam in arsi positam consonantes κρ sequuntur, et Ai. 1056, in quo versu nota postremis verbis ἕλοι δορί adscripta „γρ. ἑλοιδόρει" vestigium formae δόρει servasse potest videri. addit idem Hermannus non in his locis solis formam illam esse reponendam. quam secutus opinionem Dindorfius, qui Aeschylo δορί servat, in trimetris Sophoclis, quippe quorum nullus locus δόρει non ferat, ubique δορί in δόρει mutat (vid. ejus not. ad Ai. 1056). quod ut semper jure factum esse credam adduci non possum hisce de causis:

1. Permirum esset, si librarii ne semel quidem codicis archetypi scripturam ΔΟΡΕΙ servassent, sed pro ea semper ΔΟΡΙ legissent.

2. Cum apud Aeschylum sola forma δορί reperiatur, quam cur in eo mutemus nulla est causa, cumque ne ab attica quidem dialecto prorsus abhorreat, Sophocles δόρει etiam extra metri necessitatem dicens discessisset a more illo tragicorum a nobis observato, quo ubicunque possunt usitatiorem formam adhibent.

3. Quoniam dativi syllaba posterior semper in arsi legitur, licet quidem ubique δόρει scribere. perlustrantes vero exempla quattuor locis exceptis δορί semper in fine versus positum reperimus; quodsi δόρει solum a Sophocle dictum esset, cur non saepius in medio versu admisisset? contra δορί legitimum ei fuisse statuentes frequentem dativi in finibus versuum usum explicare possumus inde, quod in medio versu forma δορί uti difficile est nec licet nisi aut utraque syllaba in arsi collocata aut sequentibus duabus consonantibus, quae positionem efficiant.

Quae si vera sunt, δόρει non scribemus nisi ubi δορί metrum turbavisset. eadem est sententia Ellendtii in lex. Soph. I. p. 444.

In melicis quoque versibus δορί et δορός legitima sunt. ex longioribus formis reperi δόρατος Soph. frg. 164 (si quidem Sophoclis est) et δούρατι significationem carinae habens (ut Ag. 1587) Ph. 721.*)

---

*) Exempla I. diverbiorum.

δορός in Io pede OC. 1525. Ant. 670 et, si Hermannus recte mutavit, Se. 513.
in IIo pede Ai. 1013.
in IVo pede Eu. 769.
in VIo pede Pe. 299. Se. 99. 380. Ag. 495. 1587. Eu. 286. Ant. 674. Ai. 963. 1275.

δορί retinendum in VIo pede: Su. 977. Pe. 730. Se. 566. 1000. Ag. 1103. Eu. 765. OC. 1304. Ant. 195. Ai. 515. 764. 1056. 1270. Tr. 240. 478.

in δόρει mutandum: in Io pede OC. 620.
in IVo pede Soph. frg. 374b. Num OC. 1314 et 1386 δορί primi pedis in δόρει mutandum sit, tum demum poterit dijudicari, si utrum κρ apud Sophoclem positionem efficiant an non decisum erit.

δόρυ acc. Eu. 758. OC. 424.

Compositorum, quae aut a δορυ— aut a δορι— incipiunt, illa ο semper servant, haec modo ο modo ου habent, prout aut brevis aut longa syllaba requiritur.*)

Vocis γόνυ duo repperi exempla: γόνασι Ph. 485 et γούνατα OC. 1607, quorum utrumque in trimetro legitur.

πτόλις, πτόλεμος.

Sunt qui ab initio et πτόλις, πτόλεμος et πόλις, πόλεμος exstitisse opinentur. quod quamquam refelli non potest, tamen eodem jure dicas πτόλεμος et πτόλις primas atque principales fuisse formas posteaque, ut facilius enunciarentur, littera τ privatas esse. ac fixae firmaeque remanserunt litterae πτ in Πτολεμαῖος et homerico πτολίεθρον, pro quo ne metro quidem patiente πολίεθρον dicitur. ipsa vero πόλις et πόλεμος ceteraque vocabula ex eis orta et cum eis composita τ non retinent nisi ubi poeta postremam vocis antecedentis syllabam in brevem vocalem exeuntem produci vult.

II. melicorum.
δορός Ag. 419. Se. 303. 819. 976. Ai. 180. Tr. 856.
δόρατος S. fr. 164.
δορί Su. 418. Ag. 1081. 110. Se. 329. 437. 933. 934.
δόρει ex Herm. emend. Su. 813.
δούρατι Ph. 721.
δόρυ acc. Su. 819.

*) Exempla I. trimetrorum:
δορυσσόος Su. 168. 954. OC. 1313.
δορυκανής Su. 9⌣6.
δουρίπληκτος Se. 261.
δορύξενος Ag. 847. Cho. 556. 902. OC. 632. El. 46.
δορυφόρος Cho. 756.
δουρίληπτος Ai. 894.
II. anapaestorum: δορίληπτος Ai. 146.
δουριάλωτος Ai. 211.
III. melicorum; δορίγαμβρος Ag. 664.
δορίδμητος Cho. 343.
δορίπονος Se. 153. 609.
δοριτίνακτος Se. 140.
δορίμαργος Se. 668.
δορίπαλτος Ag. 113.
δουρίκλυτος Pe. 86.
δουρικμής scr. pr. δορικμής Cho. 360.

Apud tragicos primum simplicia verba sejungi debent ab eis compositis, quorum pars posterior — πολις est. in his enim πτ tralaticia et quodammodo legitima sunt, rectamque Hermannus ad Ag. 1371 hujus rei causam affert dicens: „Talium verborum haec est ratio, ut poeticae formae [i. e. eae, quae πτ habent], quod vulgaribus metris aptiores erant, in communem usum venerint, veluti quae in ρρυτος et σσυτος terminantur; quo factum est, ut simpliciores magis viderentur poeticae.“ accedit quod, cum prior horum compositorum pars bisyllaba esse soleat, duplici consonante dipodia iambica senario aptissima oritur. non igitur hae formae, sed alterae, in quibus simplex π est, a vulgari sermone recedere et sola metri necessitate adhiberi putandae sunt. quare ejusmodi composita, quorum pars posterior -πτολις est, apud utrumque poetam neque in diverbiis neque in canticis raro*) atque in trimetris, ut quorum cum numeris optime consentiant, adeo sola reperiuntur. contra abest τ in ἀγχίπολις Ant. 970. — nisi forte cum Dindorfio ἀγχίπτολις scribendum — et in ῥυσίπολις Se. 121. ab editoribus pro ῥυσίπτολις restituto; quibus adnumerandum ἀπόπολις Ag. 1371, si quidem recte a Blomfieldio pro ἄπολις est scriptum.

In ipsis vocibus πόλις et πόλεμος a Sophocle, qui hoc modo ab Aeschylo differt, πτ nunquam admittitur. jure igitur supra eum Aeschylo rarius epicis uti diximus; cujus rei causa statuenda et quod sermo ejus plerumque non tam alte assurgit cotidianoque paullo similior est, et quod major ei versuum pangendorum facultas erat illisque ad metrum explendum minus indigebat. Aeschylus vero epicum πτόλις non posuit nisi ubi attica forma metro obfuisset, i. e. ubi antecedentis vocabuli syllaba finalis in brevem vocalem desinens longa debet fieri. id maxime accidit post praepositiones bisyllabas, quae cum arctissime cohaereant et tanquam coalescant cum casibus suis,

---

*) Exempla trimetrorum: ἀγχίπτολις Se. 48?, νεόπτολις Eu. 682. ὁμόπτολις Ant. 733, ἀπόπτολις OR. 1000, melicorum: ἑλέπτολις Ag. 666, ἀμφίπτολις Cho. 66. περσέπτολις Pe. 66, ἀπόπτολις OC. 208. Tr. 647. contra semper ἄπολις Eu. 449. Ph. 1018.

hoc modo quasi composita eis, de quibus ante diximus, similia oriuntur.*) πτόλεμος vero etiam ab Aeschylo abjudicandum; nam Su. 75, ubi a codice metro non cogente exhibetur, recte pro eo Hermannus πόλεμος scribit. denique Blomfieldius et Hermannus πολίπορθε Ag. 749 in anapaesto versu repertum sine metrica necessitate in πτολίπορθε mutant, quia haec forma „Homeri usu stabilita“ sit, et ob eandem causam Hermannus Ag. 451 πτολιπόρθης ne ipsum quidem necessarium Aeschylo servasse videtur; quae quamquam fortasse jure facta esse confitemur, dignum tamen commemoratu putamus in Homeri forma πτολίπορθος, etsi πολίπορθος apud eum non reperiatur, πτ semper metro inservire.

ἱ ρ ό ς.

Ἱρός contractione ex ἱερός ortum Homerus nisi metro cogente non dixit ideoque priorem syllabam semper in arsi, nunquam in thesi collocatam habet. in Aeschylo et Sophocle Laurentianus codex ἱρός semel exhibet OC. 16. Dindorfius vero arbitrans (v. eum ad OC. 16) „formam ἱερός locis tragicorum plurimis illatam esse a librariis, ubi poetae ἱρός scripsissent pedem disyllabum trisyllabo praeferentes,“ ἱερός in trimetris iambicis, ubicunque prima et secunda syllaba ad arsim pertinent, in ἱρός mutavit**). quod neque Hermannus probavit neque ego possum probare; nam

1. cum tragicos epicis formis ibi tantummodo uti viderimus, ubi atticae metro obstant, astipulabimur Ellendtio in lex. Soph. I. p. 831 censenti „scripturam ἱρός citra metri necessitatem non obtrudendam scenicis.“ ejusmodi vero necessitas in trimetris non exstat, quoniam pro Dindorfii ἱρός semper soluta arsi ἱερός potest poni.

---

*) Exempla diverbiorum: κατὰ πτόλιν Se. 6. 233. Ag. 573, ὑπὸ πτόλιν Se. 542, ποτὶ πτόλιν Eu. 82.
melicorum: κατὰ πτόλιν Eu. 997, περὶ πτόλιν Se. 107, ἐπὶ πτόλει Se. 464, ἀμφὶ πτόλιν Se. 823. alius generis solum est τὸ [= ὃ] πτόλιν Su. 669.

**) Id factum est in secunda senarii arsi Se. 251. OC. 1545. 54. 287. 469. Tr. 607. OR. 1428. 1379.
in tertia Ai. 859. El. 281. Ph. 1033.
in IVo. pede septenarii Pe. 746.

2. Mirum esset, si tragici in diverbiis ἱρός dixissent, in melicis, quae aliis formis epicis abundant, non admisissent. in his enim ἱερός ubique et a codice exhibetur et metro flagitatur (Ph. 706. 1215. Ai. 1221. Ant. 879.), nec probanda est conjectura Dindorfii Ant. 879 ἱερὸν ὄμμα in ἱρὸν ὄμμα mutantis, cum numeri dactylici, qui secundum praecedentia aptissimi videntur, optime restituantur, si ἱερόν more Homerico*) dactyli mensuram habere dicamus.

3. Frequentissime librarii formas epicas pro atticis, rarissime atticas pro epicis scribunt.

His omnibus perpensis non possumus quin ἱερός non solum ubique retinendum, sed etiam OC. 16 pro ἱρός scribendum esse censeamus.

μίν, νίν et pronominum formae a σφ incipientes.**)

In vetustissima Graecorum lingua pronomen reflexivum singularem non habebat formam, sed personale tertiae personae, cujus nominativum ἵ sive ἷ fuisse Ellendtius in lex. Soph. s. h. v. demonstravit, et reflexive et — ut Buttmanni significatione utamur — transitive dicebatur [cfr nostrum „ihm“ apud Lutherum „ei“ et „sibi“ significans]. qui duplex pronominis illius usus in Homeri reperitur carminibus. postea vero cum singularibus verbis cognosci vellent, utrum pronomen ad subjectum enunciationis referendum esset necne. transitivam significationem discernebant a reflexiva et illam casibus obliquis vocis αὐτός***), hanc aut vetusto tertiae personae pronomine aut casibus inusitati nominativi ἑαυτός exprimebant.

Tragici non solum formas ἑαυτοῦ et αὐτοῦ earumque casus notionibus apud Atticos eis subjectis dixerunt, sed etiam, quia

---

*) Homerus enim primam syllabam producere solet, si ultima brevis est aut brevem vocalem habens aut exiens in longam vocalem diphthongumve, quae proximo vocabulo a vocali incipiente corripiatur.

**) Proprie hic de solis formis μίν sive νίν, σφέ, σφίν nobis est dicendum, cum ceterae quamvis significatione epica instructae forma tamen atticae sint; utrisque vero arctissime inter se cohaerentibus non vituperatum iri putamus, si de universo tertiae personae pronomine disseremus.

***) Graecum αὐτός, quod proprie latino „ipse“ respondet, similiter ac nostrum „derselbe“ [proprie = ὁ αὐτός] vocis „is“ notionem accepit.

omnino pronominum demonstrativorum frequens est usus, ad epicorum sermonem confugientes cum pronominis substantivi casus in attica dialecto relictos tum ejusdem complures formas epicorum proprias transitive posuerunt reflexiva tamen significatione eis non dempta. atque hae quidem formae apud Atticos non jam usurpatae non tales sunt, quae epico more distractae et productae possint haberi, cujus generis apud Homerum ἕο, εἷο pro οὗ, ἑοῖ pro οἷ, σφέας, σφείας pro σφᾶς reperiuntur; ab eis enim prorsus abstinuerunt, compensaturi vero hoc damnum nonnullas formas, quae apud Homerum alterutro tantum numero adhibitae erant, et singulari et plurali instruxerunt notione.

Sequitur nunc, ut singulos consideremus casus. — Formae οὗ, οἷ, ἕ, quae a grammaticis, ut affert Ellendtius l. l. I. p. 823, „inflecti jubentur cum pronominis reflexivi sint, inclinari cum tertiae personae potestate praeditae vi careant (ejus, ei, eum),“ apud tragicos satis rarae sunt.

Singularis genitivum οὗ transitive nusquam, reflexive semel, OR. 1257, dictum inveni.

Dativus sg. est et οἷ sive οἵ et σφίν. atque οἷ quidem reflexivum est OC. 1630; nam cur Dindorfius hoc loco οἵ posuerit Ellendtiusque id probaverit, ego quidem non intellego, cum οἷ referendum sit ad subjectum in verbo αὐδᾷ inhaerens (Οἰδίπους). οἵ vero transitivum legitur pro αὐτῷ Ai. 906. Tr. 650. El. 195 ex Herm. emend., pro αὐτῇ Ag. 1106. σφίν denique, quod semper inclinatur, apud Homerum solius pluralis numeri est et transitive ponitur, cum σφίσιν et demonstrativum sit et reflexivum (cfr. Krueger. gr. gr. maj. II. §. 51, 1, 17). idem Homerus metro cogente σφί dixit pro σφίν (cfr. tamen Il. 13, 713, ubi σφί non est necessarium). tragici vero et σφίν et σφέ, quod in epico sermone acc. pl. est, etiam singularis notione posuerunt; quam rem propter solum metrum ab eis esse novatam credere non possum, cum haec causa mihi non videatur sufficere ad pluralem formam pro singulari ponendam. nisi igitur σφίν et σφέ priscos esse singularis casus formatos ut τεΐν atque ἐμέ et σέ putemus, statuendum omnibus pronominis formis aut semper (ideoque etiam apud Homerum) solos casus nulla numeri ratione habita significatos

esse, [id quod factum videmus etiam in latinis sui sibi se, in gothicis seina sis sik, in nostro sich,] aut certe tempore posteriore eam significationis partem, quae ad numerum respicit, amissam esse. ceterum singularis σφίν jam est Hom. Hymn. 18, 19. 30, 9, ἕ pluralis Hymn. Ven. 268. tragici dixerunt σφίν = αὐτῷ Pe. 760. OC. 1490.

Accusativus sg. ἕ apud Aeschylum et Sophoclem non exstat; successit in locum ejus encliticum σφέ, et homerici μίν vice fungitur νίν. etenim νίν nihil aliud est quam ionicum μίν ad os atticum et doricum accommodatum; atque quam ob causam tragicos simul αἰεί et ἀεί (ā) dicere non potuisse supra vidimus, ob eandem μίν a sermone eorum abjudicandum putamus. ut enim dixerint μίν; cur non ubique illud posuerint, cur omnino voce νίν usi sint, explicari non licet. accedit quod νίν frequentissimum, μίν rarissimum et jam hac sola de causa suspectum est; illius enim plus quam centum exempla, hujus sex tantum inveni*). assentiendum igitur editoribus ubique μίν in νίν corrigentibus; nam cum in melicis quoque versibus νίν saepissime legatur, non recte quisquam in eis certe μίν servari debere contendat.

Usum vocabulorum νίν et σφέ spectantes illud multo frequentius esse videmus; cujus rei causa est, quod — ut de forma σφ' taceamus — in arsibus solum νίν potest collocari. theses et σφέ et νίν habent, eo quidem discrimine, ut in pedibus paris numeri σφέ consonante, νίν vocali sequente, in pedibus imparis numeri ante vocalem νίν, ante consonantem et νίν et σφέ dicatur.**) differentiam vero harum vocum in eis locis, ubi utraque metro fertur, ego quidem non potui invenire

---

*) Exhibetur μίν a codice in trimetris Eu. 621. El. 528. Tr. 388, in melicis versibus Se. 434. Cho. 612. 778.

**) Exempla: σφ' = αὐτόν Ag. 1612. Eu. 233. OC. 40. Ant. 44. Ai. 51. 74. Tr. 234.
= ἑαυτόν Se. 450.
= αὐτήν Tr. 463. 912. 1133. et in anapp. Ph 200.
σφέ = αὐτόν Pro. 9. Pe. 197. Se. 596. 1012. Ant. 516. 1226. Tr. 804. et in mell. Tr. 831. 120. El. 1396. OC. 1567 (Reiskii conj.)
= ἑαυτόν Se. 598. OR. 761. Tr. 166.
= αὐτήν Eu. 600. Tr. 878. Ant. 772.

tragicosque modo νίν modo σφέ dixisse puto, prout aut haec aut illa melius eis videretur sonare*). ut denique σφέ in genere neutro non legatur, forte ita videtur evenisse; ubicunque enim νίν neutrum est, σφέ metro repugnasset.

Dativi pluralis tres sunt formae σφίσιν, σφίν, σφί; quae quomodo in epico sermone inter se differrent, supra explicavimus. atque apud tragicos σφίσιν significatione reflexiva, quam solam in attica dialecto habet, ὀρθοτονούμενον OC. 59., transitiva ἐγκλιτικόν Pro. 482 est. num ν finale abicere potuerit, in dubio est relinquendum, cum nisi in fine versus non reperiatur. tum in usu encliticorum σφίν et σφί tragici eandem quam in omnibus vocibus ν ἐφελκυστικόν admittentibus legem sequuntur, ut formam illo ν instructam praeterquam in pausis et in finibus versuum non ponant nisi ubi metro necessaria est. quare σφί in tertia thesi ante consonantem collocatum videmus OC. 421, σφίν vero aut in thesi ante vocalem (Pro. 254. 458. OC. 444. 451, in melico versu El. 1070, ubi cum Schaefero pro σφίσιν debet restitui, denique etiam duobus illis locis ante allatis, in quibus pro αὐτῷ legitur) aut in arsi ita, ut vocabulum sequens a consonante incipiat (Pe. 809. Ai. 570.).

In accusativo pl. νίν et σφέ sive σφ' omnium generum, σφᾶς sive σφάς generis masculini et feminini sunt. quorum primum singulari significationi, quae homerici μίν est propria, pluralem apud tragicos addidit aeque ac factum esse inversum in σφέ et σφίν animadvertimus. utrum vero apud tragicos σφᾶς an encliticum σφάς scribendum sit dijudicare non possumus (cfr. Ellendt. l. l. I. p. 825). Homerus enim encliticis σφέας et σφάς utitur eo discrimine, ut illud unam semper syllabam

νίν (praeter locos ante allatos, in quibus restituendum ex μίν) = αὐτόν saepissime.
= αὐτήν Pro. 46. Se. 650. Ag. 925. 1011. Cho. 542. 544. OC. 314. 986. Ant. 432. 491. Ai. 652. 1302. OR. 397. 1265. Tr. 312. 937. 940. 1141.
= αὐτό Cho. 536. Tr. 145.

*) Habemus in IIIa senarii thesi ante consonantem
σφέ = αὐτόν Pro. 9. Se. 596. Ant. 1226.
= αὐτήν Eu. 600.
νίν = αὐτόν Cho. 893. Ai. 384. 1157. OR. 942. 1176. Ph. 407. 823. Tr. 68. 606.
= αὐτήν OR. 1265. Tr. 312.

longam, hoc brevem efficiat. in Aeschylo autem et Sophocle primum trimetrorum omnibus locis α et longum et breve potest esse codexque excepto solo σφᾶς OR. 1470 semper σφάς exhibet; in anapaesto vero versu idem σφάς legitur Ant. 128 α longo; in melicis denique neutrum exstare dolemus. nihil igitur impedit, quominus tragicos α semper produxisse dicamus, et quicunque encliticum σφάς homerico more semper corripiendum esse putaverit, in Antigonae certe loco indicato et, si constare sibi volet, ceteris quoque locis omnibus σφᾶς restituet. obstat vero codicis scriptura fere ubique; deinde verisimile est hic quoque ut in σφίσιν significatione reflexiva accentum servandum, transitiva — quae sola in Aeschylo et Sophocle reperitur, — in vocabulum proximum reici debere. quibus de causis potius encliticum σφάς tragicis attribuemus idque aut longum aut et longum et breve fuisse putabimus, ut, si longum sit, prorsus homerico σφέας respondeat. eadem sententia Dindorfii videtur esse ubique σφάς scribentis.

Ex quattuor accusativi formis quae quoque loco ponenda esset, tragicis plerumque metro indicatum est.*) ubi vero duae aut tres poni poterant, non magis quam in accusativo sing. certam quandam legem observarunt nunc hac nunc illa utentes. quare reperimus

σφέ [= αὐτάς]	metro et	νίν et σφάς	patiente	OR. 1505.
νίν [= αὐτάς]	„	σφάς	„	Cho. 977. OC. 43. OR. 1331.
σφάς [= αὐτούς]	metro	νίν et σφέ	patiente	Pro. 444.
[= αὐτούς]	„	νίν	„	Ai. 839.
[= αὐτάς]	„	νίν	„	OC. 486. OR. 1470. 1508.

*) Legitur: σφ' = αὐτούς OC. 605. Ai. 1389.
= αὐτάς in anapp. Se. 841.
σφέ = αὐτούς Su. 491., in melic. Se. 611. 720. 986.
= αὐτάς OC. 1669. OR. 1505.
= αὐτά in mell. Se. 769.
σφάς = αὐτούς Pro 444. Ai. 839, in anap. Ant. 128.
= αὐτάς OC. 486. OR. 1470. 1508.
νίν = αὐτούς in mel. vers. OR. 868.
= αὐτάς Cho. 977. OC. 43. 1123. Ant. 577, in mel. vers. OR. 1331.
= αὐτά El. 436. 624.

Postremo hic discrimen quoddam diverbiorum et melicorum commemorandum est. casus enim obliqui vocabuli αὐτός transitiva notione in illis non minus frequentes sunt quam formae modo consideratae, in his vero, quorum sermo altius assurgit longiusque a vulgari recedit, eodem modo quo „ejus“ apud poetas Romanos (cfr. Bentlei. ad Hor. carm. III, 11, 18) quam maxime vitabantur. quare in melicis versibus inveni sola αὐτῷ = ei Tr. 656 et αὐτόν = eum OR. 469; quibus exemplis pauca fortasse, non multa addere aliquis possit.

ἄμμι, ὔμμι, ὔμμε.

Aeolicae hae formae ab Homero quoque admissae et ex eo sumptae apud tragicos satis rarae sunt (cfr. Kuehlstaedt. p. 117). cujus rei causa videtur fuisse sive quod ab attica nimis abhorrebant dialecto sive quod Sophocles certe eis plerumque potuit carere formis ὗμιν ἧμιν, ὗμας ἧμας utens. atque legimus accusativum ὔμμε ε ejecto Eu. 610 in trim., Ant. 846 in cantu ἀπὸ σκηνῆς, dativum ἄμμι Se. 141 et ὔμμι fortasse restituendum OC. 247 in canticis. quibus locis omnibus aliae formae metro non feruntur; quamquam enim ἧμιν Se. 141 metro non repugnasset, tamen ab Aeschylo ultimam dativi ἡμῖν syllabam nusquam corripiente scribi non potuit.

ἁμός sive ἀμός.

Primum de significatione hujus vocis disputemus. atque Homerum quidem dixisse pro ἡμέτερος constat; atticis vero poetis semper idem fuisse quod ἐμός contendit Buttmannus gr. gr. med. §. 72, 4, 7 dissentiens ab Ellendtio, qui solam notionem „noster“ affert. quorum uter recte judicaverit, haud facile potest disceptari. perlustrantes enim locos, in quibus vocabulum legitur, exceptis duobus, Eu. 432. et, si Triclinius recte correxit, Phil. 1314., qui unam significationem „meus“ admittunt, in omnibus et pro ἐμός et pro ἡμέτερος posse positum esse videmus, cum aut chorus eo utatur de se loquens (Su. 95. 308. Cho. 423. Se. 398., restituendum pro ἐμός metri causa Ph. 863., addendum cum Boeckhio Ant. 1141.) aut histrio hoc modo, ut rem, quae addito substantivo notatur, simul ipse

possideat et alius quidam (Se. 635. El. 1496. 279. 588. Cho. 432., restituendum pro ἐμός propter metrum Ant. 865). atqui et de choro numerus singularis solet dici, et in posterioris generis locis paene omnibus significatio singularis melior minusque coacta videtur; qua de causa non longe absumus, quin recte Buttmannum sensisse credamus. ac transitus hic ex plurali notione in singularem factus aut eodem modo quo in νίν, σφέ, σφίν supra tractatis explicandus erit aut ita, ut cum Buttmanno ἀμός pro ἐμός similiter atque ἡμεῖς pro ἐγώ poni dicamus. notabile tamen videtur duobus illis locis, in quibus haud dubie pro ἐμός legitur, ἁμός suspectum esse. nam Eu. 432. repugnat legi, quam a tragicis in formis epicis observatam esse satis comprobasse nobis videmur, quaeque de ἁμός quoque alibi in senariis priorem syllabam semper arsi tribuente statui debet; Ph. 1314 vero codicis scripturam πατέρα τὸν ἐμόν metro adversam apographa non in πατέρα τὸν ἁμόν, quod exspectemus, si ἁμός prorsus idem atque ἐμός est, Dindorfiusque scripsit, sed in πατέρα τε τὸν ἐμόν, quae verba optime et metro et sententiae sufficiunt, mutatam habent. quare quaestio tum demum poterit solvi, si aliorum scriptorum allati erunt loci sine dubio aut hanc aut illam significationem exhibentes.

Sequitur, ut de spiritu vocis pauca dicamus. liber Laurentianus in Sophocle semper ἁμός habet idque Dindorfius servat; in Aeschylo autem codex modo ἁμός modo ἀμός exhibet, quorum prius Hermannus ubique, Dindorfius nonnullis tantum locis itaque ut, quam legem hac in re sit secutus, cognosci non possit, in ἀμός mutavit. utra vero forma a tragicis scripta sit, dijudicare nequimus, praesertim cum ne in Homero quidem res ad liquidum sit perducta.

Denique similis secundae personae forma ὑμός non de industria a tragicis vitata esse, sed ideo apud eos non reperiri videtur, quod omnino pronomen possessivum plurale hujus personae in tragoediis satis rarum est, quemadmodum ὑμέτερος quoque semel in Sophocle legitur.

σέθεν, ἕθεν.

Homericorum genitivorum ἐμέθεν, σέθεν, ἕθεν apud Aeschylum et Sophoclem primus nusquam, tertius non saepius

quam semel, in mel. vers. Su. 62, reperitur, quoniam atticae eorundem casuum formae ἐμοῦ et μοῦ, οὗ αὐτοῦ ἑαυτοῦ plerumque metro sufficiebant epicisque hanc ob causam non opus erat. contra secunda persona in attica dialecto unum genitivum σοῦ habet, additumque ideo est epicum σέθεν metro iambico aptissimum. quae forma et in senariis, in quibus semper totum efficit pedem, et in canticis saepe legitur, frequentius tamen in illis, quod unde factum sit recte explicat Ellendtius l. l. I. p. 742 dicens „omne pronominum genus diverbiis longe magis frequentari quam carminibus."*)

γαῖα, αἶα.

Raro Homerus attica forma γῆ, plerumque ionica γαῖα utitur, quae epico more ex ΓΑΑ orta est et, ubi metrum postulat, aphaeresi in αἶα mutatur. atque tragici ad epica γαῖα et αἶα recipienda metri tantum necessitate permoti sunt, neque ullum, ut Ellendtius I. p. 327. recte affirmat, „melicorum et diverbiorum in usu formae utriusque [γῆ et γαῖα] discrimen" cerni potest. Aeschylus tamen eadem de causa, quam supra de πτόλις dicentes attulimus, epicas formas frequentius admittit Sophocle; hic enim in trimetris γαῖα non saepe, αἶα vero, quod cur omnino rarius oporteat esse quam γαῖα statim videbimus, semel dixit.

Iam cum γαῖα attico γῆ similius sit quam αἶα, ex consuetudine tragicorum ubique aut attica aut magis attica praeferentium conicere nobis licet posterius non dictum esse nisi ubi γαῖα metro repugnaret. idque re vera factum esse inde apparet, quod omnes loci, in quibus utrumque metro fertur, γαῖα exhibent (Pe. 506. Ai. 659. Tr. 1061. Su. 15. OR. 456; licebat etiam αἶα ponere ν ἐφελκυστικῷ antecedenti vocabulo addito Pe. 494. Su. 998.) **)

---

*) Exstat σέθεν in trimetris Su. 191. 457. 491. 372. 902. Se. 247. Ag. 849. Cho. 693. Eu. 227. 803. 785. 882. El. 1209. 1411. Ph. 1435. Tr. 414. 1138. 1207. Su. 710. OC. 1363. El. 579. 524. Su. 890. OR. 597.
in septenario Pe. 217.
in carminibus Su. 358. 783. 791. Pe. 697. Se. 128. OR. 1221. OC. 250.

**) Legitur γαῖα: in trimetris Pe. 186. 487. 494. 506. 621. Se. 566. 789. Cho. 119. 483. Eu. 2. 11. 894.

In voce γαιάοχος, quae in solis canticis exstat (Se. 291. Su. 784. OC. 1072. OR. 160), epica prioris partis forma cum toto vocabulo ex Homero desumpta est.

μ α τ ε ύ ω, μ α τ ή ρ.

Formarum μαστεύω et ματεύω prior in Homero nusquam, posterior semel, Il. 14, 110., reperitur. illa vero, quam aliquoties Xenophon dixit, attica, haec metri causa littera σ privata atque epica putanda est. quo concesso vix adducemur, ut verum esse credamus, quod Hermannus ad Ag. 1058 dicit: „videntur forma ματεύω usi esse tragici, ubi metrum primam syllabam corripi pateretur.“ etenim hoc prorsus contrarium esset consuetudini illi saepe a nobis observatae, qua tragici ubicunque potuerunt atticas formas epicis praeposuerunt. accedit (idque etiam majoris est momenti) quod sententiae Hermannianae lectiones codicis repugnant potius demonstrantes epicam formam hic quoque non esse positam, nisi ubi attica uti non liceret. nam trium eorum locorum, qui et atticam et epicam tulissent formam, Ag. 1058. Eu. 246. Cho. 215., in primo et secundo codex μαστεύω sine dubio, in tertio fortasse habet, nec recte Hermannum Ag. 1058 et Cho. 215 ματεύω scripsisse censeo. ματεύω vero, ubicunque in codice exstat, metro requiritur (in diverbb. Cho. 880. El. 1107. OR. 1052. 1061. Ag. 1053, in mell. OC. 211. 1743. Cho. 326. Ph. 1210.). — Substantivum quoque μαστήρ OC. 456. ita legitur, ut ματήρ metro non fuerit obstaturum; praeterea semel μαστήρ repperi, Tr. 733, neque exstat apud Sophoclem et Aeschylum forma ματήρ, quam Hermannus Dindorfio et Engero improbantibus Ag. 1231 ex Hesychio restituere voluit.

El. 1132. Ai. 659. Ph. 819. 1441. Tr. 1061. OR. 456.
in septenario Pe. 222.
in carminibus Tr. 503. El. 839. Ai. 235. Se. 286. Su. 998. 529. Se. 912. Pro. 568. Cho. 41. Pe. 544. 909.
in anapaestis Eu. 939. Su. 15.
αἶα in trimetris Su. 241. Pro. 304. Pe. 249. 481. 490. Eu. 60. Soph. frg. 239.
in carm. Ph. 1162. Se. 288. Su. 531. 539. Pe. 131. 265. 1037.
in anapaestis El. 95. Pe. 2. 60.

ὅσσος, τόσσος, μέσσος.

In vocabulis ὅσος, τόσος, μέσος epici litteram σ facile propter brevem vocalem antecedentem eodem modo quo in fut. et ao. 1. act. et med. et in terminatione εσι duplicabant. tragici metri causa ὅσσος, τόσσος, μέσσος dixerunt (cfr. Kuehlstaedt. p. 106), atticas vero formas in pedibus iambicis numeri imparis retinuerunt (veluti τόσος Pe. 818, μέσος El. 745. 748. Ai. 324. OR. 812. Tr. 564. 803. 696. 918.). casu factum est, ut τόσσος et ὅσσος in trimetris non reperiantur; nam τόσος quoque et ὅσος multo rariora quam μέσος sunt.*)

διαί, ὑπαί, καται-, παραι-.

Praepositiones παρά, ὑπό, κατά in epica dialecto interdum terminationem αι habent, editoresque Homeri hanc ibi scribunt, ubi posteriorem syllabam produci oportet, retinentes tamen atticas formas sequente liquida, quippe quae facile possit duplicari. atque explicanda terminatio αι eo, ut aut primam propriamque eam fuisse aut in praepositionibus παρά et κατά α epico more in αι productum et ὑπό ex illarum analogia eodem modo mutatum esse dicamus. ceterum epicae hae formae ne in Homero quidem frequentes sunt; παραί et ὑπαί et simplicia et in compositis reperiuntur, καταί in solo καταιβατός Od. 13,110. de tragicorum vero usu haec sunt statuenda:

1. Sophocles eadem de causa, quam supra de πτόλις et γαῖα exponentes attulimus, epicis formis multo rarius utitur quam Aeschylus; habet enim solum ὑπαί (in trim. El. 711. Ant. 1035., in mel. El. 1419, ubi a Brunckio est restitutum).

2. Aeschylus καταί quidem et παραί in compositis tantum habet (παραιβάτης in mel. Eu. 542, καταιβάτης in trim. Pro. 361., quorum illud ipsum verbum Homericum, hoc Homerici καταιβατός simillimum est); contra et ὑπαί altero saepius admisit (in trim. Ag. 859. 911. Eu. 409, in mel. Cho. 605. et ex Herm. emend. 932. Ag. 1123.) et longius Homero progressus

*) Legitur ὅσσος in mel. Pe. 862. Phil. 509. (nisi οἷα cum Porsono scribere praestat).
τόσσος in mel. Ag. 132. Ai. 185.
μέσσος Ant. 1223. 1236. Soph. frg. 239, in mel. OC. 1247. Tr. 635.

adeo διαί dixit (in trim. Cho. 642, quamquam hic aut cum Hermanno βίαν, aut certe, cum epica forma metro non postuletur, διά scribendum est; in mel. Ag. 428. 1092. 1416. 1453. Cho. 602. 631. Se. 216, quorum locorum nonnulli in codice contra metrum atticum διά exhibent.).*)

χερός etc.

Quo tempore in lingua graeca vocalium mensura nondum firma stabilitaque erat, vocabulum χείρ duplicem radicem χερ- et χειρ- habebat; sola tamen longiore forma utebantur in nominativo singularis, qui omnino longam vocalem amat eaque saepe a radice differt. atque Attici quidem breviorem formam retinuerunt in χεροῖν et χερσίν, quae melius eis videbantur sonare quam χειροῖν et χειρσίν, ceteros vero casus a longiore formabant radice. contra Homerus et ει et ε dixit in dativis singularis et pluralis: χειρί χερί, χείρεσι χείρεσσι χερσίν, nec dubito, quin, si res tulisset, in reliquis etiam formis ε pro ει admissurus fuerit. quem sequentes tragici in omnibus casibus excepto no. sg. et ε et ει posuerunt, ubique tamen hic quoque formis ab attica dialecto abhorrentibus non usi sunt nisi ubi metro necessariae erant. qua in re adnotandum primum dativo pluralis, si diphthongum habeat, semper epicam esse terminationem εσσι (χείρεσσι Ant. 976. 1297.), deinde nominativum et accusativum dualis nec cum ει nec cum ε reperiri. exempla formarum non atticarum ubique reperies, afferoque solos locos, in quibus rarius χειροῖν legitur: El. 206 ex Brunckii emend., 1395. denique χερόπληκτος habes Ai. 631.

αἰετός.

Homerus semper αἰετός dixit. quod apud Atticos eodem modo in ἀ[-]ετός transiit, quo αἰεί a tragicis in ἀ[-]εί mutari vidimus. epicam formam vero et in melicis et in diverbiis (in

*) Schneider. p. 23. et Kuehlstaedt. p. 106. ἀπαί quoque affirmant in trimetris legi, quae forma ne apud Homerum quidem reperitur, cum Il. 11,664 nunc ἀπὸ νευρῆς scribatur; in tragicorum vero trium nullo ἀπαί exstat, ut Schneiderus erravisse, Kuehlstaedtius vero illius verba non examinata descripsisse putandus sit.

senariis Cho. 244. 255. Pro. 1026. Pe. 204. Ant. 1040. Soph. frg. 766, in paroemiaco Ant. 113, in melicis versibus Ag. 130. Soph. frg. 423.) codex Laurentianus semper exhibet Hermannusque eum sequitur. Dindorfius tamen ἀετός ubique restituit, idque jure factum esse ex eis, quae hucusque a nobis sunt exposita, liquet. etenim cum in ἀετός α longum sit, epica forma metro quidem nusquam flagitatur; neque atticum ἀετός ut nimis tritum usitatumque tragici vitasse possunt, quia sine dubio in sermone cotidiano hoc vocabulum haud ita frequens erat. potius inde, quod Attici αἰετός in ἀετός, tragici αἰεί in ἀεί mutaverunt, conicere nobis licet αι ante ε atticis auribus ingratum fuisse debuisseque hac quoque de causa tragicos dicere ἀετός. denique non raro factum est, ut librarii epicas formas in atticarum locum substituerent. quae omnia quicunque consideraverit, quamvis repugnantibus libris manuscriptis cum Dindorfio consentiendum esse concedet.

Caput alterum.

Enumerandae nunc sunt rariores epicae formae, quas tragici metri causa admiserunt.*)

Ac primum quidem de eis exponemus, in quibus vocalis syllabae alicujus mutata est. cujus generis verba in quattuor rursus dividi possunt classes: aut enim pro longa Atticorum vocali brevis, aut pro brevi longa posita, aut vocalis contractione orta dissoluta, aut longa vocalis in alius longae locum substituta est.

Primam rationem sequitur:

ἕταρος Pe. 960.

Secundi generis sunt:

οὐρεσιβώτας Ph. 1148. et οὔρειος Ant. 351.

οὐλόμενος Pro. 399, quam vocem ex Homero desumens Aeschylus simul retinuit epicam primae syllabae productionem.

---

*) Loci trimetrorum asterisco, anapaestorum cruce signabuntur.

composita vocabuli ὄρος. quae ipsa quidem Homerus non usurpavit, semper tamen dixit οὖρος (etiam ἀπουρίζειν Il. 22, 489). tragici vero ubique in compositis ου posuerunt: πρόσουρος Ph. 691, ἄπουρος OR. 194, ἔπουρος Tr. 954, τηλουρός *Pro. 1. *Ai. 564 (Eur. *Andr. 868.), ξύνουρος *Ag. 473.

καταπνείει Ag. 105, et πνείοντα, quod Cho. 611 cum Heathio pro πνέοντα scribendum videtur.

εἰνάλιος Ant. 345 a Dindorfio poscente metro recte restitutum.

ὑπείροχος metro repugnat Tr. *1096, recteque a Bentleio ὑπέροχος scriptum est. item Pro. 428. epico ὑπείροχος Hermanni conjectura remoto ὑπέροχος rediit.

κεινός Tr. *495, cum metro non sit necessarium, jure a Dindorfio in κενός est mutatum. v. Schneider. p. 25., Kuehlstaedt. p. 108.

εἰν Ant. *1241, nisi ἔν γ' cum Heathio scribendum. Ph. 685 est Bothii conjectura.

εἴρυσον Tr. 1034 in hexametro heroico.

εἵνεκα librorum Su. *174 ab Heathio sine dubio recte in οὕνεκα apud tragicos eadem significatione frequentissimum mutatum est.

δειράς, quod Ph. *491. legitur, metro repugnat, ideoque cum Toupio δεράς scribendum videtur. adnumero vero δειράς epicis formis, quia δεράς atticum fuisse conicere licet ex δέρη, quo Sophocles semper pro epico δειρή usus est.

πεπείρανται Tr. *581 (ad quem locum vid. Dindorf.) pro attico πεπέρανται.

νοῦσος Su. 656.

Tertio genere comprehenduntur:

ἀέξω (qua sola forma utitur Homerus, proprie ἀϜέξω, ex quo Attici αὔξω fecerunt) Ai. 226. Su. 823, ἀεξίφυλλος Ag. 673.

᾿Αθηναία (ortum ex ᾿Αθηνάα, att. ᾿Αθηνᾶ) Eu. *285. *296. — Tragicos aut ᾿Αθηναία aut ᾿Αθάνα, nunquam Αθηνᾶ dixisse notum est.

Denique longae vocales inter se commutatae sunt in hisce vocabulis:

δήϊος Ag. *537. Cho. 618. cum vero neque metro necessaria sit epica forma et alibi semper legatur δάϊος (Se. *260. Cho. 424. *425. Ai. *784. e conj. Eu. *791), Dindorfius recte atticum δάϊος restituit. ceterum in Aeschylo codex saepius ionicum η pro attico α exhibet, velut in τιήρας Pe. 663, ἀρῆς Su. 76, ἰθείη Su. 78.

ἔμπης Ai. *122. vocabulum hoc ab Homero fere solo usurpatum apud Atticos aut ἔμπας aut ἔμπα fuisse cum scholiastes ad versum illum contendit tum scripturis codicis in aliis locis affirmatur (ἔμπας Ai. *1338. Ant. 845. Pro. *48. 189. Eu. 228., ἔμπα Ai. *563). quare Brunckius etiam Ai. 122. ἔμπας recte restituit.

ἰθαιγενής Pe. *301. fortasse ἰθαγενής scribendum.

ἐλαίας OC. *484 recte Dindorfius in atticum ἐλάας mutavit, quod legitur in codice OC. *17.

Deinde afferendae sunt formae epicae eae, quibus apud epicos vocalis aliqua aut dempta aut addita est. atque illud quidem factum est in:

εὐκλέα (pro εὐκλεέα) OR. 161.

νώνυμος (pro ἀνώνυμος) Pe. 974. El. 1084. eodem modo fortasse

νηλεῶς pro ἀνηλεῶς cum Blomfieldio scribendum est Pro. *242. cfr. Lobeck. ad Phryn. p. 710. sqq.

τίπτε (pro τί ποτε) Ag. 942. Pe. 549. e Bothii emendatione Phil. 1089.

ῥά (pro ἄρα) in solis formulis ἦ ῥα Pe. 636. Ai. 172. 954. et ἤ ῥα Ai. 177.

νέρθεν (pro ἔνερθε) Tr. *1202 et aliis locis.

Vocabulorum autem eorum, quorum forma epica ab attica differt vocali addita, reperi haec:

ἀέλιος, dorice in melicis dictum pro Homerico ἠέλιος, OC. 1245. Ant. 100. 809. Tr. 835.

ἀδελφεός Se. 951. *557. et ἀδελφεά OR. 160. OC. 535.

ὁμοίϊος restituendum videtur Su. 419.

ἐλεεινός, quod codex habet OR. *672 ab initio se-

narii, quia metro non est necessarium cum Porsono in atticam formam ἐλεινός (Ph. *870) mutandum videtur.

Quibus addere nobis liceat:

ποτί (pro προτί, i. q. πρός) Se. 277. 328. Ag. 699. Eu. *82. et fortasse cum Wakefieldio restituendum Tr. 657; in compositis Tr. 1030. Pr. 531. Su. 347. Eu. 176. Pe. 98 ex Herm. conj. Se. 93. Tr. *1214.

τεός (= σός) Pro. 162. Ant. 604. Se. 101 atque ex Herm. conj. OC. 534 et El. 1091.

ἑός Dindorfius El. 1075 inferre studuit.

ἐνί (= ἐν) scripsit Schneidewinus Ag. *78. puto vero eum hac in re audaciorem fuisse atque ἔνι (= ἔνεστι) scribendum esse cum Hermanno, qui ad eundem locum tragicos dicit ἐνί non alibi quam in melicis videri admisisse. mihi nusquam in Aeschylo et Sophocle ἐνί obviam factum est. nec scio, quo jure Schneider. p. 23. et Kuehlstaedt. p. 106. ἐνί passim in tragoedia reperiri affirmarint. nam in uno quem afferunt loco, Tr. *7., Laurentianus liber ἐν exhibet, et supplendi metri causa in apographis aliis aliud interpolatum est; nonnulla ἐνί habent, idque vulgo in editionibus legitur, recipienda tamen videtur Erfurdtii mutatio μὲν ἐν.

Tum formas epicas, quae consonante breviores sunt quam atticae, repperi has:

πολλάκι (pro πολλάκις) Se. 210. Su. 105 = 113. Ph. †1456.

'Οδυσεύς ut Ai. †149 legamus metrum poscit; quod idem cum fiat Eur. Hec. †139, non puto cum Dindorfio mutandum esse.

ὄπιθεν (pro ὄπισθεν), quod ex veterum grammaticorum sententia doricae dialecti est (v. Lobeck. ad Phryn. p. 11.), Pe. 972 a Wellauero restitutum est. (exstant adeo ἐξόπιν Ag. 112 pro ἐξόπισθεν et μετόπιν Ph. 1189 pro μετόπισθε.)

ἐνέπω (pro ἐννέπω), quod Hermannus ad Tr. 227 „tantum anapaestis et melicis versibus convenire videri“ dicit, nec in Aeschylo nec in Sophocle reperi.

Additam vero atticis formis consonantem habent

τοί et τώς (pro οἵ et ὧς). atque τοί quidem pro οἵ eodem modo, quo apud Homerum, non legitur nisi significatione pronominis demonstrativi, atque aut μέν aut δέ additum ei est. praeterea epicis his formis antecedere oportet vocalem, quoniam alioquin οἵ et ὧς potuerunt poni; et sic reperimus τώς Su. *688. Se. 465. *618. Ai. *841, τοὶ δέ Ai. †1404. exstant tamen τώς et τοί etiam ab initiis versuum melicorum aut consonante aut interpunctione majore antecedente, ita ut non sint necessaria: τώς Su. 64. 644., τοὶ μέν Se. 277., τοὶ δέ Pe. 563. 587. Se. 280. denique legimus τοὶ δέ initio senarii Pe. *419, pro quo recte Blomfieldius οἳ δέ scripsisse videtur.

Restat, ut de epicis et nominum casibus et adjectivorum comparativis superlativisque et verborum temporibus dicamus. atque in declinatione quidem adnotanda inveni haec:

ματέρος (pro ματρός) Su. 523.

ἀνέρες (pro ἄνδρες) Ph. 707. in hexametro Tr. 1010. et ἀνέρων (pro ἀνδρῶν) Su. 411. OR. 869. ἀνέρος (pro ἀνδρός) Ai. 221 Wunderi conjectura est non certa.

νῆας acc. pl. vocabuli ναῦς epice pro ναῦς Su. 714.*)

Ζηνός, Ζηνί, Ζῆνα, voc. Ζήν (Su. 144. 157.) frequentissima sunt.

adjectivi πολύς casus: πολέος Ag. 968 (ex Herm. emend.), πολεῖ Su. 715, πολέα Ag. 697. Su. 830. et ex Lachmanni emend. Pe. 264, πολλόν Tr. *1196 (masc). Ant. *86 (neutr.). cfr. Kuehlstaedt. p. 106.

Deinde epici sunt comparativi et superlativi:

ἀρείων Se. 287. Ag. †81. sed Cho. 418 ἄρειον metro repugnat.

βέλτερος Se. 319. Su. 1059. Aeschyl. frg. 319, βέλτατος Su. 1026. Eu. 465.

*) Praeter hanc formam et atticos vocis casus exstant apud Aeschylum et Sophoclem dorica ναός, ναΐ, νᾶες, ναῶν. ex his ναΐ et νᾶες in solis melicis reperiuntur versibus, a quibus νηΐ et νῆες absunt; ναός vero et ναῶν etiam in senariis admittuntur: ναός (v. Kuehlstaedt. p. 108. Schneider. p. 25) Se. 62. Ag. 864. Ant. 715. Ai. 872. Eur. Med. 520, ναῶν Su. 737. Pe. 335. 354. 378. 450. 452. 473. 475. quia attica νεώς et νεῶν aliam habent mensuram.

μάσσων (= *μακρότερος*) Pro. *630. Pe. *435. 709 in septenario. Ag. *576.

ὕπατος (att. *ὑπέρτατος* Ant. 1332. Ag. †89. Su. †24.

νέατος (att. *νεώτατος*, ep. *νείατος*) Ai. 1185. Ant. 808. 809. †627.

Quibus addantur *φέριστος* Se. *39 et *πρώτιστα* Tr.* 1181.

Denique epicas temporum formas verba habent haec:

βαίνω: *ἔβαν* (= *ἔβησαν*) Pe. †18, *κατέβαν* Tr. 505. in *ἔβαν* Pe. 18 ultimo vocabulo dimetri anapaesti, quem dimeter sequitur a vocali incipiens, Kuehner. gr. gr. max. IIa. ed. §. 343 s. h. v. *α* putat produci, cum in hac terminatione *αν* pro *ασαν* aut *ησαν* breve soleat esse; tamen syllabae breves in fine versuum anapaestorum aliis quoque locis apud Aeschylum reperiuntur, quamquam plerumque major interpunctio cum eis conjuncta est: v. Rossbach. et Westphal. metr. Ia. ed. p. 100. ceterum possimus etiam in v. seq. *τοὶ μέν* pr. *οἱ μέν* scribere.

δοκέω: *δοκησάτω* Se. *1020.

ΕΙΔΩ: *εἰδόμενος* „similis" homerico usu Ag. 740.

εἰμί: *ἔσκεν* = *ἦν* Pe. 658. *ἔμμεν* = *εἶναι* Ant. 623. (codex quidem *ἔμμεν' ὅτῳ* habet, ut pro *ἔμμεναι* positum sit; sed cum trochaeo opus esset, cur poeta non dixerit *ἔμμεν*, sed ultimam vocis *ἔμμεναι* syllabam elidi maluerit, intellegi nullo pacto potest.). *ἔσσεται* Pe. 120. *ἔσσομαι* *El. 818, nisi hoc loco cum Dawesio ordinem verborum invertere praestat.

εἶμι: *ἴσαν* = *ᾖεσαν* Tr. 514.

ἐρύω: *ἔρυτο* OR. 1351. epicus ao. per syncopen factus.

ἔρχομαι: *ἤλυθε* Ai. 234, ut Eur. El. 597. Troad. 376. v. Kuehlstaedt. p. 111.

ἔχω: *ἔσχεθον* Pro. *16. Se. *75. *410. Eu. *844. *κατασχεθεῖν* Ant. *1200. El. *754. *κασχέθοι* Herm. e conj. Se. 434.

κτείνω: *ἔκτα* Tr. *38, *κατέκτα* *Eu. 452, *συγκατακτάς* Ai. 230, *κτάμενος* Pe. †903.

κτυπέω: *ἔκτυπε* (pro *ἐκτύπησε*) OC. 1456.

λαγχάνω: λέλογχε OC.
λελημμένος (pro εἰλημμένος) Ag.

λανϑάνω: λήϑω El. 222. Ph. 207. Ant. *532. OR. *1325, λήϑομαι El. 168, ἐπιλήϑομαι El. 146. 177.

πείϑω: aoristi ἔπιϑον, qui respondet Homerico πέπιϑον, et ἐπιϑόμην satis frequentes sunt. πιϑήσασα Cho. 608.

πέλομαι: ἐπιπλόμενος OR. 1314.

πυνϑάνομαι: πεύϑομαι OC. 121. Ag. 955. †773. OR. 604. Tr. *387.

σεύω: part. ao. sync. σύμενος Eu. †989. Ag. 719. praeterea hujus verbi formae exstant memorabiles: σεῦται = σεύεται Tr. 645, σοῦνται Pe. †26, σοῦσϑε Se. *31. Su. 805, σούσϑω Ai. †1414., ao. συϑῶμεν OC. 1724, συϑείς OC. 118. Pe. 863. Se. 916. OR. *446.

ὑπισχνοῦμαι: ὑπίσχομαι Eu. *793.

χέω: χύμενος part. ao. sync. Eu. 260. Cho. †396.
